10.

DISPUTATIO JURIDICA

DE VARIIS NUMMARIORUM DEBITORUM SOLUTIONIBUS, SIVE AD L. CREDITOREM aliàs DEBITOREM ff. DE SOLUTIONIBUS & LIBERATIONIBUS.

Quam

Divino auxiliante Numine

Magnifico, Amplissimo ac Nobilissimo JCTORUM Ordine, in Illustri SALANA approbante, consentiente,

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi & Consultissimi VIRI

Dn. VALENTINI RIEMERI

J. U. D. celeberrimi, Prof. publ. & Scabinatus Assessoris dignissimi,

Dn. Præceptoris, Fautoris ac Hospitis mei gratiosi, ætatèm colendi, venerandi,

Publicæ disquisitioni expono

WINANDUS à Petersdorff

Eq. March.

In Auditorio JCtorum ad d. 2. Martii.

JENÆ

Typis JOHANNIS WEIDNERI,

Anno 1622.

In nomine Domini noſtri JESU CHRISTI l. 2. C. de offic. præf. Prætorio Affricæ, & de omni ejusdem diœceſeos ſtatu. Nov. 6. in fin.

DE VARIIS NUMMARIORUM DEBITORUM SOLUTIOnibus; ſive ad L. Creditorem aliàs Debitorem; 99. ff. de Solutionibus & Liberationibus.

THESIS I.

NOn nova ſed antiquiſſima, me Hercule, alta, magna, profunda & cotidiana dubitatio, controverſia ac diſpectio eſt, quæ inter utriusq; juris Interpretes hactenus variè, confusè ac perplexè diſputata ac vexata: Quâ ſcilicet in monetâ, quibus in nummis ſolutio quoquo caſu à debitoribus facienda? quæ non tàm antiquiores quàm

recentiores Jureconsultorum mentes acerrimè torsit, gnaviter exercuit, strenuè agitavit. a) *Quæ autem quotidiana sunt, usumq́; frequentem in vita communi habent, Lynceis oculis contemplanda, consideranda erunt,* b) *& ad eorum cognitionem atq; discussionem vigilantiores & attentiores esse debemus.* c) *Quare præsentem materiam in varios, quos continet, casus paulo accuratius distinctumq́; distributam ac partitam, per quæstiones & argumenta, verbis, quantum vires ingenii, divino adminiculante numine, permittent, patientur, maximè perspicuis, dilucidis, claris delineabimus, adumbrabimus.* d)

a) Testes sunt locupletissimi, Viri Magnifici, JCti eminentissimi *Dn. Fridericus Pruckman. vol. 2. cons. 12. Dn. Ernestus Cothman. vol. 1. respons. 34. nu. 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c.* testis *Bocer. in tr. de jure monet. n. 75. c. 2.* qui in suorum verborum subsidium alios quàm plurimos vocat, quos longâ seriè citare, mea lubentia non est: testis *Carol. Molin. de usuris n. 686. in fin. verb.* (in hâc argumentosissimâ quæstione) & *n. 693. circa fin. vers.* (multum etiam confusè & perplexè loquuntur DD. in hâc materia.) Quod si quis in rationem hujus rei inquirere gestiat, is statim in promtu eam esse deprehendet. Nam facti & voluntatis speciem, secundum conventionis legem quæstionibus plurimis refert ac continet potius, quàm quod in juris definitionibus certis consistat. *Molin. de usur. n. 717. circa pr. Knich. de Saxon.*

xon. non provoc. jur. n. 360. Budel. de monet. & re numar. c. 2. n. 9, lib. 2.

b) monet JCtus Paulus *in L. legavi 25. verſ.* (quotidiana ſunt) *ff. de liberat. leg.*

c) *L. 3. L. 5. ff. de LL.*

d) *Dn. Andr. Kobl. JCtus eximius exercit. 18. & 19. Anton. Fab. in tract. de varijs num. debitor. ſolut. per integr. Bocer. d. tract. num. 75.*

II.

Cum autem in hâc ultimâ mundi ſenectâ, rabie, fece, antiquas, probas, ponderoſas, puras & ab omni maculâ extraneâ, repurgatas monetas, tùm pro libitu & libidine negotiantiũ & mercatorum in valore mutari, tum cauponatione rei monetalis corrũpi & in nihilũ reduci, præ oculis quævis gens compertum habeat, cognoſcat, videat: unde hujus miſerrimi ævi omnis malorum lerna, peſtis, ſentina, ex qua tanquam uno ac præcipuo incõvenienti ſequuta plura, imò ſequentur infinita, ni monetarum abuſibus, monetariorum malitiis, Dardanariorum fraudibus citò citò obvietur: unde Reſpublicæ miris vexantur modis, ſubditi eviſcerantur, excoriantur, enervantur ac vix precario dimittuntur ſpiritu; unde rerum flagellationes maximæ, caritas annonæ inaudita, rerum

omnium raritas, pretiorum auctio immensa, non tolerabilis, iniquissima. Unde nil certo certius? Quemadmodum fraudes moderno seculo circa monetam fabricandam aperta committuntur, dum numi sub incudem aliquoties revocati in minutissimas resolvuntur species, mox moneta veteres grossa in abjectissimas convertuntur formas, paulò in fortiorem paulò in debiliorem conflātur monetam, tandem rubigine obfuscantur & hujus usuram lucis fugiendo evanescunt, pereunt, decidunt: ita virtutum seminaria aliquot seculis nobiscum in Germaniâ pernoctata, his autem corruptelis supra modum infestata, enormiter læsa, pressa tyrannicè, sedem fixam mutare, domicilium aliò transferre, hincq; migrare ac exulare jubebuntur: unde barbaries certa, Dei contemtus certus, honestarum disciplinarum non malitiosa sed coacta, non voluntaria, sed invita desertio: unde latrocinia certa, bella civilia, cruenta ac funesta, & omnis generis malorum Iliades certissima subsequentur. Hinc Sole clarius meridiano patet, cautè in campo hoc num-

mario

mario, circa solutionem variarum variantium monetarum & nodorum dissolutionem difficillimorum, qui in figuratione casuum plurimorum toti, agendum ac principia certa & immota ponenda, figenda, præsupponenda erunt. a) *Basis igitur & fundamentum hujus dispectionis erit, ut, quidnam in obligatione sit, inprimis ac principaliter inquiratur.* b) *Hoc v. non tàm ex numeratione quàm cautionis dispositionisve verbis (quid nempè solvere debitor promiserit aut jussus fuerit) æstimandũ esse nullus dubito.* c)

a) *Ren. Budel. lib. 2. c. 4. n. 12. in tr. de monet. & re num. & c. 15. nu. 21. vers.* utinam verò hæc nostra tristia & infausta tempora, *& n. 23. vers.* quod commodissimè, *Jacobus Bornit. de nummis lib. 2. c. quib. modis corruptioni præveniatur* 5.

b) *Andr. Knich. d. tr. n.* 362.

c) *Anton. Fab. d. tr. c. 1. pag. 2.* Quid enim justius, quàm pacta servari *l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de const. pecun.* Præcipuè namque quid inter contrahentes actum sit, respiciamus oportet, & quid obligationis dispositionisve, unde debentur nummi, tenor demonstret. *L. in stipulationibus 34. ff. de R. J.* Sic ut singula ejus verba ac syllabas consideremus & ita accipiamus, ne frustrà apposita videantur. *Dn. Cothm. d. resp. 34 n. 53.*

III.

Fieri a. haud potest, quin horum duorum alterum in obligatione deprehendatur, vel debitum monetæ certæ vel monetæ incertæ. Si I. Membri articulus.

monetæ

moneta certa debeatur, plurimum refert rursum: An sit currens, expendibilis, ejusq; copia commodè haberi poßit, an verò in usu esse desierit?

IV.

Subdistinctio 1. membri. *Prius membrum hoc rursum distinctionis admittit fœdus: An nimirum in eadem bonitate, quæ fuit tempore cōtractus, etiamnum, cum facienda solutio, moneta debita perduret: an verò bonitas ejusdem fuerit immutata, depretiata, corrupta.*

V.

Priore casu (quando sc. & copia debitæ monetæ nō adeò difficulter comparari potest, & in eâdem bonitate permansit) communius

Qu. *placuit*; monetâ aliâ pro aliâ invito creditori solvi non posse, *sed strictim ac præcisè præstādam eam, quæ promissa vel legata vel aliter in obligationem deducta apparet.*

Quod probamus:

Sive moneta debeatur tàm in specie quàm numero certo, puta centum ducati integri: sive debeatur in specie saltem certa sed numero incerto, puta centum floreni in ducatis per *L. 2. ff. de reb. cred. L. si cum aurum 50. & d. L. creditorem, aliâs debitorem 99. ff. de solut.* Müntzordnung *Anno* 1559. §. Die jetzt gemelte gemeine Reichsmüntze. *Cöler. de process. execut. part. 1. c. 10. n, 7. Cothm. resp. 34. n. 41. Diß. Donell, in L. 3. n. 10.*

de reb.

de reb. cred. Hotom. illustr. quaest. 15. quaest. Harpr. ad pr. tit. Inst. quib. mod. re contr. oblig. hos alii turmatim tanquam praevolantes insectantur, tradentes: generali quadam consuetudine, glossae, communis Doctorum opinionis auctoritate recepto receptius esse; quamlibet monetam probam pro qualibet solvi posse, *arg. L. un. C. de arg. pret. quod thesaur. infert lib. 10. t. 76.* Verùm consuetudinem ejusmodi hodiè vix obtinere, praesertim in Germaniâ, nisi fortè inter hos, qui mutuo eandem receperunt consensu, luculentissimè ex dictâ Sanctione Imp. Ferdinandi de ordinatione monetae Anni 1559. §. Die jetzt gemelte Reichsmüntze/constat: quâ cavetur, ut quicquid in auro seu argento datum aut obligatum sit, in auro argentove quoq; exolvatur *Molin. n. 708. Cothm. vol. 1. cons. 34. nu. 38. Knich. n. 411, cum seqq.*

VI.

Posteriore casu, cùm moneta in obligatione deducta, mutationem, diminutionem, corruptionemve passa, distinguendum ac dicendum videtur; num circa intrinsecam vel extrinsecam bonitatem mutatio acciderit. a) *In illâ namq; specie ejus intrinsecae bonitatis nummos solvēdos esse cōmunius obtinuit.* b). *quae fuit tempore contractus, quod verius jurisq; rationi maximè congruum ac consentaneum arbitramur.* c)

a) Quanquam his ulceratis ac perditis temporibus hic distinctionis modus nullius eruditionis, levioris notae, vilioris conditionis Tribubus apprimè notus. Nos tamen veri juris finem ac veritatem intuentes, investigantes, non quod vulgò fiat sed fieri debeat, hos missos facimus & cum JCtis nostri aevi eminentissimis INTRINSECAM BONITATEM eam dicimus, quae consistit in materia & pondere monetae, *L. 1. in pr. ff. de contr. emt.*

L. 2. C. de vet. numism. potest. Alii Ligam vocant, *Cothm. n. 14.* Monetarii Germanico idiomate appellant: Schrot und Korn, Gewicht und Gehalt. EXTRINSECAM v. appellamus, quæ in æstimatione, valore, cursu & usu monetarum consistit. Germanicè, den Werth der Müntze/item: wie gäng und gäbe die Müntze ist. *Boc. c. 2. nu. 70. & seq. Gædd. de reb. cred. c. 5. n. 155. Harpr. ad pr. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. n. 184. Magn. Dn. Arum. in Inst. exerc. 12. quæst. 11, Alem. consult. 8. de jure monetæ p. 384.* Non desunt, qui dictis appellationibus inverso utuntur significatu, sub quorum numero primas tenet *Molinæ. de usur. n. 696.* Ast, cum communissimus ille loquendi modus, tribus ferè jam seculis usu invaluerit & receptior fuerit, *sub eod. num.* suam muculis usu invaluerit & receptior fuerit, *sub eod. num.* suam mutavit sententiam & usitato loquendi sermoni subscripsit astipulatusque est: quem meritò retinemus: monentibus *Cothm. Fabr. c. 1. circ. med. & alijs.* Quodque in discursu apertiùs dabit ipsum veritatis cribrum.

b) *Didac. Covarr. de collat. veter. numism. c. 7. §. un. n. 2. Cothm. d. cons. 34. vol. 1. n. 59. Andr. Kohl. exerc. 18.*

c) tum quod contrahentes ad præsens censeâtur habuisse respectum, nec de incerto futuro, velut ignoto cogitare potuisse. *L. 2. §. 1. de hered. vend. L. si filiusfam. 78. ff. de V. O. L. Rutilia Polla 69. ff. de contr. emt.* tum etiam, si secus statueremus, non id quod debitum est, sed aut minus aut plus solveretur, quorum neutrum admittendum. *L. 3. ff. de reb. cred. L. 1. C. de vet. numism. potest. Anton. Fab. de var. num. debit. solut. c. 4.*

VII.

In hâc autem bonitatis extrinsecæ specie; quando sc. valor monetæ vel crevit vel decrevit, sinuosus, & ferè inextricabilis videtur opinionum inter juris Interpretes extare labyrinthus, a) *ita ut in hâc palæstrâ non immeritò ambigatur, contractus ne an solutionis tempus inspiciendum veniat?* b)

a) To-

a) Testatur abundè satis *Dn. Ern. Cothm. cons. 34. vol. 1. n. 91. 92. 93. Dn. Andr. Kobl. exerc. 19. n. 1. & aliquot seqq. Fach. lib. 2. contr. jur. c. 9.*

b) vel, ut nonnulli volunt, ad debitoremne decrementum incrementumve valoris spectet, an ad creditorem? Quàm ambiguæ autem intricatæ ac perplexæ hujus quæstionis formulæ loquendi sint, non obscurè innuunt *Molin. n. 693. Cothm. cons. 34. vol. 1. nu. 98.* tradentes: ex verborum discrepantiâ inter Dd. sæpè in hoc conflictu placabilem rerum intelligentiam, & vice versâ ex similitudine verborum, diversitatem rerum promanare, pullulare, prorumpere diversissimam. Quæstionis autem est exquisitissimæ: An debitor nummos, quorum valor hodiè crevit, in minore illâ æstimatione, quæ contractus tempore obtinuit, solvere, & rursum creditor nummos, quorum valor decrevit, tanti, quanti olim cum contraheretur, valuerunt, recipere in solutum cogatur, & ita tempus contractus inspiciendum? An v. contra creditor nummos in eo valore, qui nunc est, cum solutio facienda, minor majorve, exigere possit, as rursum recipere compellatur, & ita solutionis tempus veniat contemplandum? *Andr. Geil. pract. observ. 73. n. 3.* Aliter atque aliter hos terminos explicuit *Cothm. cons. 34. n. 98. 99.* *Qu.*

IIX.

Ad cujus nodi instar Gordii solutionem plurimùm referre putamus: Num certa nummorum species inæstimata in obligationem deducantur, ut corpora: an v. æstimata, ut quantitas. Nam ubi prius factum constabit, tempus contractus inspiciendum & intrinsecæ bonitatis potissimùm rationem habendam, dicemus, non observato vel attento, num valor extrinsecus creverit vel decreve-

 rit:

rit: dummodo in genere definito solvantur nummi tot, quotquot eorum fortè vel promissi vel legati sunt.

Nam sicut cum vinum, oleum, hordeum, triticum mutuo datur, nihil opus est extrinsecam ejus æstimationem inspicere, sed sufficit, si ejusdem generis & bonitatis totidem tritici, hordei modii, aut olei pondo vel vini amphoræ reddantur; quot credita, sive carius sive vilius ea constent solutionis tempore quàm cõtractus. *L. cum quid. 3. ff. de reb. cred. pr. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. Dn. Bach. in animadv. in Treutl. vol. 2. disp. 29. th. 3. lit. c. vers. quid si pecunia numerata per integ.* ita & cum nummorum genus pariter ac numerus certus in obligatione versatur, sufficere dicendum est, si eum, quem debeo, numerum in eo, quo convenit, genere solvam: quicunque tandem eorum solutionis tempore valor fuerit. *arg. l. cum centum 9. in verb.* si non species designata sit, *ff. de auro & arg. leg. d. pr. I. Q. m. re contr. oblig. L. 1. §. 2. de O. & A.* Utroque enim casu non æstimatio in obligatione est, sed corporum genus *d. L. 1. §. 2. in fin. juncta d. L. 9. ff. de aur. & arg. leg. L. si cum aurum 50. ff. de solut.* Nec ergò æstimationis ulla potest tum haberi ratio, nisi fortè in solutione mora fiat. Tum enim ejus quod interest æstimatio necessariò secundum solutionis tempus ineunda. *Fab. c. 7. per L. vinum 22. de reb. cred.*

IX.

Factum v. illud putabimus: I. Quotiescunque disertè ita convenerit aut dispositum est, v. gr. Credo tibi centum taleros Imperiales probos, inque sacro Imperio currentes, ut totidem mihi reddas, singulos pro singulis. Hundert unverschlagene / unverbotene / vollwichtige / vñ im Reich gänge und gäbe harte Thaler / Stück

vor

vor Stück. *Vel si testator dicat: Lego Sempronio 600. aureos Rhenanos probos, quos numero totidem probos, justos & integros ipsi ab herede meo dari, praestari volo.*

Conventio n. dat legem contractui *L. semper in stipulationibus* 34. *ff. de R. J. L. Jurisg.* 7. §. quin imò. *ff. de pact. Knich. d. tr. c.* 5. *n.* 396. ita ut in claris ad alias, quàm verba referunt, voluntatis conjecturas nihil opus sit confugere. *L. continuus* 137. §. 2. *in fin. ff. de V. O. Cothm. d. resp. n.* 79. & 2. *seqq.*

X.

II. Idem dicimus, & si certi generis nummorum numerus certus simpliciter in obligationem deducatur, etiamsi de iis in specie solvendis non ità disertè caveatur, puta cum cautio habet: fateor, me debere centũ taleros Imperiales aut centũ aureos Rhenanos, eo nõ adjecto, me velle istos in nũmis ejusmodi aureis vel argenteis solvere solidis ac integris.

Eo n. ipso, quod certa nummorum species seu genus in obligationem deducta est, simul & de solutione in eodem genere facienda convenisse censebitur, ità, ut aliud solvendo minimè contingat liberatio, *d. L.* 2. *ff. de reb. cred.* ex quocunque tandem contractu, dispositione, aut negotio obligatio hujusmodi descendat: & sive pura ea sit, sive conditionalis sive in diem. *Kohl. d. exerc.* 19. *n.* 3. 4. 5. 6.

XI.

III. Quin imò in contractibus, qui re ineuntur, adeò hoc obtinere putamus, ut si de iisdem, qui numerati sunt, nummis in genere

ſcilic. ſuo reddendis nihil omninò cautum ſit, adhuc tamẽ ejusdem generis ac bonitatis intrinſeca nũmos totidem, quot numerati ſunt (ſi de eo liquidò conſtet) reddi oportere cenſeamus: modò non expreſſè aliud actum.

In mutuo namque depoſito & cæteris re initis contractibus non utique ſemper, quid reddi debeat, dictum oportet, ſed ſufficit ad hoc, ut ſciatur, quid quantumque reddi debeat, conſtare, quid traditum numeratum ſit. *L. 1. §. 2. ff. de O. & A. L. rogaſti 11. §. ſi tibi ff. de reb. cred. L. ſi tibi 17. ff. de pact. L. cum ultra 9. C. de non num. pec. Fab. c. 3. pag.* 52. Nam quod alii tradunt: caſibus hiſce memoratis ſolutionis tempus inſpiciendum eſſe. *Andr. Kobl. d. exerc.* 19. *n.* 2. *Fach. contr jur. lib.* 2. *c.* 9. *verſ.* tertia eſt ſententia: Id intelligendum, ſi in mora fuerit debitor, aut in alio monetæ genere ſolutio offeratur. Tum n tanti æſtimantur nummi, quanti tunc fuerunt, cum reddi ſolviq; debuiſſent, *per L. vinum 22 ff. ſi certum petatur. L. cum centum 9. ff. de aur. & arg. leg. Kobl d. exerc. 19. n. 2. Knich. d. c. 5. n.* 368.

Qu. Sed anne tunc quoque ad intereſſe tenebitur, cum non de damno emergente, ſed lucro ceſſante creditor certat? Alii ajunt, alii negant. Nos aſſerenti dextram porrigemus, *per L. 99. ff. de ſolut. & L. ſi ſterilis 21. §. 1. ff. de act. emt.* Nam ſatis probabile intereſſe obtendit creditor dicens: ſi mihi nummi in ſpecie ſeu genere debito ſine morâ ſoluti eſſent, potuiſſe me majorem pecuniæ ſummam inde conficere, quàm nunc poſt moram commiſſam.

XII.

Sequitur alterum diſtinctionis mẽbrum. Quid itaq; ſi æſtimati in obligationem deducantur certi generis nummi, ſolvendum ſit, indagabimus? Et pro regula obtinuit: in ſpecie hujusmodi æſtimationem duntaxat

in obligatione esse, nummorum verò genus in solutione.

Id est, solvendos quidem omninò ejus generis nummos, qui nominatim debentur, verũ nec plures, nec pauciores, quàm quotquot illorum solutionis tempore efficiant quantitatem sive æstimationem illam, quæ olim tempore contractus in creditum venerat. Nam quod alii in hâc specie contractus tempus spectandum dicunt, id omninò ad sortis æstimationem sive pecuniæ summam in obligationem deductam, non ad nummorum æstimationem singulorum referendum est, utpote qui solventur in eo valore, qui nunc est, non qui fuit olim cum contraheretur, *Molin. qu. 90. n. 689. & n. 729. qu. 96. item qu. 97. n. 335. Kohl. exerc. 19. n. 18. Fab. c. 23. Cothm. n.* 106. Igitur, si creverit nummorum valor, eandem æstimationem seu pecuniæ summam, quæ olim credita, vel in paucioribus nummis generis debiti soluisse sufficit: sin decreverit, supplenda omninò summa eadem ac in genere debito vel plures etiam nummi persolvendi, non attento, creditoris id an debitoris cedat lucro vel incommodo. Rationes hujus conclusionis *Dn. Ern. Cothman. n.* 134. plures numero recitat, quarum præcipuæ hæ:

1. Quia æstimatio regulariter venditionem inducit ac omne rei periculum æquè ac commodum in recipientem videlicet debitorem transfert, *L. plerumq. §. 4. in fin. & §. 5. in fin. ff. de jur. dot. L. 10. C. eod. L. æstimatis 50. cum L. seq. L. pen. 66. §. mancipia 3. ff. solut. matrim.*

2. Quia ideò contrahentes æstimationem sive pecuniæ summam certam in obligationem deduxisse videntur, ut augmenti decrementique incertitudinem effugiant. Magis igitur ad sortis summam, quam singulorum valorem nummorum hoc casu respiciendum. *Covar. c. 7. §. 1. n. 5 concl. 7. in verb.* ob metum mutationis monetarum. *Molin. n.* 734.

3. Quod secundum naturam sit, ut commoda cujusq; rei eum sequantur, quem sequuntur incommoda, *L. 10. ff. de R. J.* Sicut ergò creditor nummis decrescentibus supplementum procul dubio exiget; ita & econtra nummorum crescente

valore

valore augmentum meritò debitorem ſequetur, nec permittendum erit creditori in ſumma plus petere, quàm eidem debetur.

4. Quia negari nequit eum, qui in monetæ genere convento debitam æſtimationem ſive pecuniæ ſummam perſolvit, obligationi ſuæ in formâ ſpecificâ ſatisfacere ac proinde liberationem haud immeritò conſequi, *d. L. 1. in fin. ff. de argent. leg. in pr. Inſt. Q. m. t. o.*

5. Quia ita facienda ſolutio, ut nec quidquam creditori abſit, nec idem plus etiam, quàm abeſt ſibi, conſequatur, *L. in perpetuum 61. ff. de ſolut. & facit. L. 17. ff. de pact.* quam juris regulam immotam ac panacæam vocat, *Knich. d. tr. n. 378.* Reliquæ videri poſſunt penes *Gothm. d. loc.*

XIII.

Huc commodè conſimilia huic & alia referri poſſent exempla, quæ pro ratione noſtri inſtituti, ſicco pede non prætereunda neq; ſilentio involvenda erunt.

XIV.

I. Si debitor promiſerit aut heres in ultimâ voluntate juſſus fuerit dare vel ſolvere ſummam pecuniæ certam in genere monetæ certo quidē, ſed numero nūmorū incerto, e. g. florenos centum in taleris probis & integris, Hundert Gülden/ an guten gantzen unverſchlagenen Reichsthalern.

Hoc in caſu tenetur creditor accipere & debitor ſolvere nummos in eo valore, qui nunc eſt, ſaltem ut integra ſumma centum florenorum præſtetur. Et in hoc articulo omnes conſentire tàm eos qui contrariam, quàm qui receptiorē ſequuntur, monet *Kohl. exerc. 19. n. 23.* Rationem peculiarē hujus formulæ,

mulæ præter eam, quæ à *Dn. Robl.* est allata, affert *Menoch. conf.* 49. *num.* 28. Quod videantur contrahentes talerorum numerum ideò non determinâsse, quia considerarint fieri posse, ut quandoque plures, quandoque pauciores, summam in obligatione positam conficiant, ac voluerint adeò in obligatione esse summam florenorum determinatam, numerum verò talerorum indeterminatum, propter futuram scilicet monetæ variationem. Videtur autem insuper dicendum, mentem contrahentium maximè esse spectandam ex tenore obligationis, & instrumenta sive scripturas super mutuo factas diligenter esse ruminandas, quodq; monet *Dn. Cothm. in Epilog. conf.* 34.

XV.

II. Idem dicemus, etsi nummorum æstimato creditorum numerus certus in cautione exprimatur, si modo de eodem numero reddendo non expreßè convenerit, V. C. si ita conventum: creditos olim 400. florenos in taleris 350. solidis, probis, integris, ac justis, ac convenisse, ut debitor hos 400. florenos in taleris itidem probis ac solidis reddat.

Anton. Fab. in repet. tr. de var. num. debit. solut. concl. 15. dicit: Longè aliud esse, 400. floren. in 350. taleris accipere, aliud 400. florenos debere in 350. taleris. Illo casu (sc. 400. florenos in 350. taleris accipere) debentur floreni duntaxat, iiq; 400. hoc (sc. flor. 400. debere in 350. taleris) 350. taleri integri (quam speciem mox in exceptionibus tangemus.) Illud ad creditoris factum refertur hoc ad officiū debitoris, cui cum totidē nummos quot accipit, refundendi necessitas imposita non appareat, creduntur etiamnum ob æstimationem adjectam non nummi per se eorumq; numerus definitus, sed potius summa vel quantitas illa quam totidem nummi tempore obligationis consti-

C tuebant

tuebant inobligationem dudocta *Fab. d. tr. c. 8. Kobl. d. exerc. 19. n. 27.* Sed quid si nec illud provisum: ut in eodem saltem genere monetæ, quo creditum, debitum reddatur? Licere

Qu. tum in qua vis moneta justa, proba, eandem summam refundere concludit, *Anton. Fab. d. c. 8. d. concl. 15.* propterea, quod hoc casu nummi sine ullâ conditione æstimatò crediti, omninò venditi videantur. *argt. L. 3. & L. non est probabilis 6. C. de rescind. vendit. L. 1. in fin. de aut. & arg. leg.* Quod nobis arridet.

XVI.

Quid? Si, III. ita scriptum extiterit. Deberi seu præstare oportere aureos centum ad rationem 27. grossorum pro quolibet aureo: Hundert Goldgülden / Jedn zu 27. Groschen gerechnet. *Idem quod in casibus proximis obtinebit.*

Anton. Fab. sæpius Cit. tr. c. 2. Carol. Molin. de usur. num. 733. et. seqq.: Cum enim certo numorum numero ac genere præmisso singulis sua nominatim subjicitur & assignatur æstimatio, intelliguntur hoc veluti pretio singuli nummi taxati & quasi appretiati, ut proinde omnes illæ rationes sub thesi 12. relatæ commodè huc referri queant. *Dn. Ernest. Cothm. cons. 34 num. 110. cum seqq. Dn. Andr. Kobl. exer. 19. n. 20* Diversum ab hoc habemus casum in thes. 19. cum sc. æstimatione sive pecuniæ summâ præmissâ numerus specierum certus subjicitur.

XVII.

Recordamur regulæ in secundo distinctionis mẽbro sub th. 12. propositæ, quæ in sequentib. verbis suũ perdit officium a) quoties æstimatio

matio nummis non taxationis ac veluti venditionis, sed demonstrationis saltem causâ adjecta deprehenditur b) *Nam tunc tàm intrinseca quàm extrinseca bonitatis ratio initur ex tempore contractus, ita ut tot nummi solvendi veniant, quot crediti: non plures, nec pauciores: sive creverit valor eorum extrinsecus sive decreverit.*

a) *L. 1. ff. de R. J.*

b) quia hoc casu æstimatio venditionem non facit & ideò perinde est, ac si mæstimati debeantur nummi juxta ea, quæ thesi d. supr. dicta sunt. *Aut. Fab. c. 7. text. in L. si inter 21. C. de jur. dot.*

Demonstrationis verò gratiâ valor adjicitur, cum id agitur, ut hac notâ monetæ species in obligationem deducta ab alia specie consimili tanto melius discernatur, non ut nummi certo velut pretio æstimentur ac quasi vendantur, puta, cum promissi olim centum taleri integri, singuli grossis 24. ad differentiam talerorum Regiorum Hispanicorum, qui valebant grossos 27. vel aurei integri groff. 27. ad differentiam Ducatorum, qui 38. grossis olim valebant. *Fab. tract. de var. num. debit. solut. c. 2.*

XVIII.

Quæ dicta, licet in thesi satis videantur expedita sic in hypothesi seu exemplorum fictione casuumve figuratione, non exigua

ſeſe offert difficultas. Attamen ſi obligationis verba ac inſtrumenti tenor expreſsè ac diſertè habeant: (numeratos florenos 100. ſingulos pro 21. groſſ. computatis in 87. taleris probis ac ſolidis, ſingulis pro 24. groſſ. computatis, eà lege ac conditione; ut reddantur floreni in taleris ejusdem generis & æſtimatione eâdem, nulla habitâ ratione augmenti vel decrementi deinceps eventuri) dubitari nequit, quin demonſtrationis non taxationis cauſa æſtimatio ſit adjecta.

In hâc enim & ſimilibus hypotheſibus, ubi conventionis lex ſatis eſt clara indubiaque, negari planè non poteſt, quin ea ſervanda, *L. 1. ff. de conſt. pec. L. 1. ff. de pact. L. contractus ff. de R. J. c. contractus de R. J. in 6. Dn. Cothman. conſ. 34. num. 212. & 213.*

XIX.

Verum quid ſi certi generis, nummis æſtimatò increditum deductis creditor ſimpliciter ſtipuletur, ut in eâdem æſtimatione, vel ad eandem æſtimationem reddantur, eo non addito, quid de incremento decremen-

cremento q; fieri debeat? Exempl. gr. Si ante quadriennium fortè mutuò dati florenni 80. in taleris 70. singulis taleris pro 24. grossis Misn. computatis, reddantur: quæstionis est periculi sat plena, (postquam scilicet singuli thaleri valent grossis 28.) an 70. thaleri solvendi? An verò sufficiat reddidisse saltem 60? qui nunc octoginta florenos æquè, ut olim 70. conficiunt?

Posterius affirmat *Dn. Ernest. Cothman. cons. 34. num. 227. vers.* Verum, utut se ista habeant, &c. Scilicet, ut si talerus crevisset, sufficeret reddidisse saltem 60. qui nunc octoginta florenos æquè ut olim 70. conficiebant, & ita debitoris commodum & incommodum esse. Et pro hâc sententiâ non solum omnes illas rationes supr. th. 12. enumeratas adducit, sed etiam alias novas insuper adjicit, quarum:

I. Quod adjectio hæc, ut in eâdem æstimatione vel ad eandem æstimationem reddantur nummi tacitam habeat conditionem: REBUS SIC STANTIBUS *n.* 304.) Et ideò mutato valore nihil eam operari. Nam & superioribus casibus eandem adjectionem tacitè inesse. Non debere igitur hoc loco expressum plus operari quàm illic tacitum.

II. Quod adjectio qualificet rem sive obligationem, *L. fin. C. de dot prom: ff.* Cum igitur in formulâ jam dictâ expressè habeatur, ut taleri solvantur ad æstimationem 24. grossorum, consequens esse, ut quod jam pluris valent, quàm grossis 24. Id jure meritò possit deducere.

 III. Quod

III. Quod æſtimatio periculum æquè ac commodum in recipientem ſcilicet debitorem conferat *n. 236.*

IV. Et quod creditor hanc legem ideò adjeciſſe videatur: ne decreſcente valore minorem recipiat ſummam, Pariter ergò & per contrarium valore creſcente neç ſummam majorem eundem exigere poſſe.

V. Quod in dubio, quod minus eſt, ſequimur, & dubiam pactionem contra creditorem interpretamur.

Prius vèrò placuit *Dn. Andreæ Kohl, d. exerc. 19. num. 7.* quod ſcilicet thaleri 70. ſint ſolvendi, licet talerorum valor fuerit auctus, & creditoris lucrum eſſe, quæ ſententia verioribus ſuffulta rationibus putatur; quarum duas & recenſendo & deinde argumenta Dn. Cothm. diluendo portum aſpicere geſtimus.

I. Quia ex prædictâ & ſimilibus obligationum formulis talis contrahentium mens non obſcurè colligitur. Cum enim haud contenti fuerint obligationi certam ſummam vel quantitatem pecuniæ cum certo monetæ genere inſerviſſe, ſed ulterius proceſſerint, providendo de æſtimatione, IN vel SUB QUA & ad QUAM nummi ſint ſolvendi: utique eo ipſo ſatis apertè ſuam declararunt voluntatem ſuamque aperuerunt mentem, ſecundum præſentem non futurum nummorum valorem eorum fiendam reſtitutionem, ſive ſolutionem faciendam.

II. Probat hoc *L. ſi inter 21. C. de jur. vet. dot.* quâ traditur, quod ſpeciebus æſtimatò in dotem datis eâ lege, ut in eadem æſtimatione reddantur, non poſſint ſpecies fortè deminutæ alio pretio, quam quo taxatæ fuerant repoſci.

Reſtat nunc ut accingamus conferamusque nos ad rationes dubitandi *à Magn. Dn. Cothm.* allatas.

I Quod

I. Quod attinet, negandum imò intrepidè ac audacter, nostræ speciei inesse tacitam conditionem, REBUS SIC STANTIBUS: ac potius verba ita accipienda, ut aliquid operentur, juxta Domin. Cothman. notata, *sub num. 53.*

Eadem responsio potest aptè accommodari huic Secundo Verum namque est, adjectionem illam (ad eandem æstimationem) adeò qualificare obligationem; ut nec pluris nec minoris solvi possint aut debeant nummi, quàm in æstimatione adjectâ grossorum 24.

III Argumentum à puris procedere videtur particularibus. Cum æstimatio nec venditionem semper faciat: nec perpetuò periculum ac commodum in recipientem transferat. *d. L. si inter 21. C. de jur. dot.*

IV. Per inversionem tollimus, ac cum eo fine prædictam adjectionem factam præsumamus, ut si crescat moneta, lucrum creditoris sit: pariter & decrementum ad eundem pertinere concludimus.

V. Et ult. in hac nostrâ specie ideò cessare debere contendimus, quod mens contrahentium ex verbis tam claris, satis manifesta, perspicua, dilucida ita ut in claris nullus videtur esse locus conjecturis *d. L, continuus 137. §. 2. in fin. de V. O.*

XX.

Nec diversum statuimus in eo, cum de nummorum æstimatorum eodem numero omnimodo reddendo persolvendoq; disertè cautum reperitur, exempl. gr. confiteor, me accepisse florenos octoginta in taleris probis & solidis septuaginta, quos inta-

in taleris totidem me restituturum polliceor.

Etsi hic quoque articulus admodum controversus sit, nonnullis existimantibus sufficere, si ead. quantitas reddatur, licet non totidem taleri. *Molin. quæst. 90. pag. 743. per tot.* Cothm. *d. resp. n. 301.* Quod contrahentes ad quantitatem magis, quàm nummorum numerum retulisse videantur. Aliis contra statuentibus ac pronunciantibus: non sufficere eandem summam reddidisse, nisi simul & idem nummorum numerus exolvatur.

Faber tamen posteriorem sententiam juris rationi magis convenire existimat, cui & nos astipulamur.

I. Quia lege satis apertè cautum, quod nummi pro summa credita fiat totidem videlicet, quot accepti refundendi, restituendi.

II. Quia eam ipsam ob causam numerus certus solutioni præfinitus videtur, ne valore crescente vel decrescente, nummi plures vel pauciores solvendi vel recipiendi. *V. Kobl. d. exer. 19. num. 27.*

III. Quoniam in præsenti hypothesi reciproca, quædam æstimatio deprehenditur & quoddam quasi retrovenditionis pactum tale, ut sicut ego 70. taleros pro 80. florenis tibi quasi vendidi, ita tu mihi pro eadem summa totidem taleros aliquando velut revendas.

IV. Quia hujusmodi obligatio duo continet capita quorum *alterum*, ut summa non in qualibet moneta, sed in nummis certi generis præstetur. *Alterum* ut præstetur quoque in tot nummis quot expositi. Utrumque ergò ut præstetur necessum est, si conventioni habitæ satisfactum esse asseramus. *L. 1 ff. de const. pec. Kobl. exerc. sæpius citatâ 19. n. 26. & 27.* Pro cautelâ tamen observandum, hanc ut & præcedentem th. nō procedere, si ex aliis evidentibus conjecturis & Sole meridiano clarioribus circumstantiis & causis appareat, non salterm Demonstrationis sed taxationis ac veluti venditionis

cau-

causa, æstimationem fuisse factam, *Vide Dn. Cothm. circa fin. d. resp. 34. vol. 1.*

XXI.

Deniq; valoris variatio sic demùm in considerationem venit, si publica non privata auctoritate contingat. a) *Quod an sola principis sanctione.* b) *An & populi usu* c) *fieri queat, ardua, spinosa, intricata est quæstio? Nos distinctionem adhibebimus.* d)

a) Nam cùm privatis nummos cudere haud liceat, *L. 2. C. de fals. monet. Arnold. Clapmar. de arcan. Rerumpubl. lib. 1. c. 16. Knich. de Sax. non provoc. jur. num. 350. cap. 5. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 7. num. 30.* Sic nec æstimium nec valorem ipsis imponere, præter eum, qui publicâ auctoritate iisdem datus est, licebit, *per l. 1. & ult. C. de vet. numism. potest. L. jus publicum 38 ff de pact. Nov. Leon. 52.* Recessus Imperii Imperatoris Ferdinandi Anno 1559. §. Wir ordnen und wollen auch ferner. *p. 536. circ. fin. Sixt. de Regal. lib. 2. c. 7. n. 31.*

b) Ita *Boerium decisione 327. n. 6. & 7.* statuere affirmat *Sixtin. lib. 2 c. 7. num. 79.* nos cum *Covarr. c. 7. num. 6. circa fin. Boer.* explicabimus.

c) Quod contendit *Molin. d tract. num. 797. Cothman. cons. 34. num. 176.* Utuntur autem his rationibus ordine sequentibus: Quod

I. Sacræ Pandectæ ipsæ ex commerciorum ac populi usu monetam æstiment *Gen. 23. n. 16.*

II. Quia pecunia & ejus usus & publica comprobatio est jurisgentium, *argum. L. 1. ff. de contr. empt. Molin. num. 798.*

III. Unde diverbium natum: Verba, titulos & nummos usu valere.

IV. Quia quod in aliis rebus pretium est, id in nummo valor, *arg. l. 1. C. de vet. num. potest.* At rerum pretia ex communi usu & æstimatione pendêre, expreßè statuunt JCti *in L. si certum 33. ff. ad L. Aquil. L. pretia rerum 63. ff. ad L. Falcid.*

V. Quod fieri aliter vix possit, quàm ut crescente decrescenteve pretio materiæ, quâ nummi constant, simul quoque augeatur minuaturve nummorum valor, *Covarr. de collat. vet. numism. c. 7. n. 6.*

VI. Testimonio Budæi *lib. 3. & 5. de Asse*, qui multis exemplis demonstrare conatur: publicum populi consensum, principum sanctionibus hâc in re longè prævaluisse, *Molin. n. 797. pag. 855.*

d) Molinæi autem sententia eatenus recipitur, quatenus novus ejusmodi valor vel longâ consuetudine receptus ac confirmatus, *L. de quibus 32. ff. de LL. L. 1. quæ sit long. consuet.* aut aliâ quavis ratione tacito principis consensu approbatus. Is verò ex eo maximè colligitur, si ipsemet princeps nummos in novo ejusmod. valore recipiat atque exponat, *Cothm. d. resp. n. 176.* In cæteris casibus superiorem sententiam veriorem putamus secundum notata *Sixtini n. 79. Bornit. de num. lib. 1. c. 9. & lib. 2. c. ult. circa fin.*

Qu. Coronidis loco, justæ causæ, quæ principem movere debent vel ad augendum vel minuendum antiquum valorem nummorum, sciri poterunt *ex Sixtin. d. c. 7. n. 59. & seqq. Bornit. d. c. fin. in fin. Covarr. c. 7. n. 6.*

XXII.

Sufficit dixiße de primo membri primi articulo, nimir. si debitæ pecuniæ copia detur. Sequitur alter ejusdem membri articulus: Quid concludendum, si moneta cre- [II. membri articulus.]

dita

credita in usu amplius esse desierit? Hoc quia duplici contingere poterit ratione; 1. vel ob ejus raritatem 2. vel reprobationem: bipartitam hujus articuli considerationem pronunciamus. Nam 1 si ob raritatem ejus vel difficilem admodùm a) *2. vel si ea haberi compararíq; omninò non possit, audiendus debitor, qui in alia consimili monetà solutionem offert.* b) *Nec immerito?*

a) JCtis n. idem esse solet, an quid omninò haberi nequeat, an verò non nisi sumtu immenso, pretio immodico, difficultate maximâ, *l. 14. §. ult. ff. de leg. 3. Molin. in tract. de usur. quæst. 91. n. 690. & 691. vers. Secundò, si creditorem, p. 751.* Cæterum si rara quidem sit, sed modico tamen sumptu non difficulter admodùm haberi possit debita moneta, omninò eam conquirere debitor ac solvere debebit, *Cothman. cons. 34. num. 36.*

b) *argum. L. ea quæ dari 135 L. impossibilium 185. ff. de Reg. Jur.*

XXIII.

II. Ob reprobationem verò nummorum quid solvi oporteat, acerrima est inter Dd. concertatio, magna pugna, conflictus gravissimus. a) *Nos in totali hujusmodi valoris mutatione idem quod de partiali*

ejusdem variatione L. in toto de R. J. L. quæ de tota 76. ff. de R. V. *obtinere debere autumamus.* b)

a) I. Inveniuntur nonnulli, qui ob monetæ reprobationem penitus debitorem liberari concludant, *arg. L. mortuo boue. 49. ff. de leg. 2.*

II. Extant alii, putantes sufficere, si debitor solvat ipsam monetam, vel tantum, quantum nunc à reprobatione, materia ejus valere potest.

III. Reperiuntur denique, qui tantum solvere jubent in æstimatione, quanti ante reprobationem moneta fuit. *Molin. n. 702. & 714. Andr. Kohl. exerc. 18. n. 30.*

Ad I. Considerationem quod attinet, eam purè ac simpliciter relegamus. Ratio, si petatur, in promptu est. In monetâ n. præcipua ac potissima pars est bonitas intrinseca, sive metallum, quod remanet, quantumvis valor aboleatur: Non potest igitur videri pen tus interiisse pecunia.

II. & III. in terminis certis, secundum casus applicationem, tolerare, retinere possumus.

b) Nam aut ipsa corpora in creditum deducta sunt, puta nummis aut prorsus non, aut demonstrationis saltem causâ æstimatis, secundum præmissa. Et hoc casu secunda opinio, per rationes in th. 8. cum seqq. stabit. Et cum negari nequeat, hanc nummorum reprobationem, sine debitoris culpâ ac ideò creditoris periculo evenire, *per L. in ratione 11. ubi Dd. ff. ad L. Falcid. L. in navem saupbei 31. ff. locati.* Accidit? quod æquissimum est, ut quemadmodum creditor, non cogitur cum aliquo detrimento in alia formâ, quam credidit accipere: ita nec debitor compellatur aliud nummorum genus, quàm quod in creditum accepit, reddere, *per d. L. cum quid. famosissimam. 3. ff. de rebus cred.*

Aut quantitatis in obligatione est, nummis nimirum æstimatis: tum III. & ult. per rat. supr. thesi 12. allatas cum

seqq.

ſeqq. ſedebit quieſcetque opinio. *text. in c. cum Canonicis extr. de cenſib.*

XXIV.

Reſtat ultimum noſtræ diſpectionis membrum. Quid ſolvendum veniat, ſi nullum monetæ genus definitum, ſed nummi ſaltem numerales (uti vocant) in obligatione ſint: velut apud nos floreni, taleri. a) *Et juris manifeſti eſt, in qualibet monetâ juſtâ ac probâ ſolutionem tum fieri poſſe.* b)

a) Id quod eo ſaltem caſu fieri intelligitur, cùm nec de numeratione, nec ſolutione ſpecificorum nummorum ullâ in cautione mentio fit, ſed etiam cum ex inſtrumento conſtat, ſpecificos nummos numeratos eſſe, dummodo æſtimatos ac de eodem genere nummorum reddendo nihil cautum ſit vid. th. 14. in fin. ſecus, ſi nummi numerati ſint ſpecifici inæſtimati thef. 11.

b) Hoc enim numericæ, aut ut loquuntur numeralis potius pecuniæ proprium, ut in qualibet probâ monetâ ſolvi poſſit, *Anton. Fab. c. 8. pag. 166. Andr. Kohl. exerc. 18. num. 20.* tùm, quod hoc caſu quantitas in obligatione verſatur, *arg. l. 1. ff. de contr. emt.* tùm quod quoties generaliter quippiam debetur, nec ad ſpeciem reſtricta eſt obligatio, debitoris electio eſt, quam ſpeciem ſolvere malit. §. *præterea ſi quis. I. de act.* tum denique, quod nec mutari uumeralis pecunia videatur, ſed ſumma promiſſa eadem ſemper maneat, in quantitate. Receſſibus verò Imperii ſaluberrimè proviſum cautumque ut floreni majoris ſummæ nomine, invito creditore, ultra 25. in monetâ minutiſſimâ ſolvi nequeant. Müntzordnung

Anno 1559. §. Die jetzt gemelte. *Fab. in repetit. tot. tract. conclus. 4.*

XXV.

Tandem si obligationis ac cautionis verba sint ambigua, quæ de nummo numerali æquè ac specifico accipi poterunt? qualis nunc appellatio taleri, aurei, grossi & similium: Placet in dubio de nummo potius numerali quàm specifico obligationem interpretandam.

Anton. Fab. d. tract. c. 3. & in repet. d. concl. 5.

I. Nam nostri in contrahendo plerunque talerorum vel aureorum non ideò faciunt mentionem: ut debitor obligetur ad solvendum in integris taleris vel aureis, sed ut sciatur, quantum debeatur.

II. Notissimum est, in dubio ad id, quod minimum fuerit, redigendam summam, ut minus oneretur debitor. *L. semper in dubijs. L. favorabiliores 125. de R. J.*

Ex præmentionatis pro re natâ satis jam liquere arbitramur, quid petere creditori incumbat, quidque è contra, restituere debitori conveniat? Si nempè obligationum instrumenta penitius intueamur, verborum tenorem rectiùs inspiciamus, mentemque contrahentium pressius, accuratius, pensiculâtius scrutemur, perquiramus, rimemur. Nec tamen in hoc arduo nimis ac rigidè procelloso conventionis ac exactionis æstu, ipsissimam Justitiæ symmetriam,

metriam, stateram æquitatis justissimam transgredi ac violare cupimus: Sed id prudentis Magistratus trutinæ ac ordinationi, creditoris verò æquissimo postulandorum moderamini relinquimus: insuper & saluberrima quibusdam in locis inventa, pressorum in favorem debitorum, edita esse, inaudimus.

Dictis ergò acquiescemus.

COROLLARIA

Ex Jure Feudali, Civili, Pontificioq;

I.

An solus Princeps de feudo Regali cognoscat? A.

II.

Si Vasallus feudum suum vendiderit, vel, si vasallo in divisione feudi bona mobilia, sivè pecunia numerata adjudicetur, eritne pecunia ex

ex venditione recepta, vel, ex divisione percepta, feudalis? A.

III.

An liberi poßint exhæredari ob causas similes vel æquè graves vel graviores iis, quæ in Novell. 115. c. 3. *expreßæ sint? A.*

IV.

An parens filiam spiritualem ducere in uxorem poßit? N.

Quibus ipsis, unde sum exorsus, in eodem veri DEI nomine sacrosancto Numini grates canendo discursus noster meritò terminetur.